Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 629
Quelle:
Copyright:

ronymus que sequuntur sunt gennadii presbyteri ecclesie massilie episcopi ut aiunt qui eum viderunt. Nescio, quis *Gennadium* Episcopum adpellet praeter *Sigebertum Gemblac.* et *J. B. Platinam*, quorum sane neuter illum vidit.

II. *fol.* 11. init itaque *Gennadius de Viris illustr.* numeratione continuata. Praeter aliquam in expressione Nominum varietatem, plerumque jam a *Vallarsio* aut *Fabricio* notatam in elogio *Augustini n.* 173. deest illa περιοχη: *Unde et multa loquenti* &c. et finis est: *questionem jam dedit*, ut adeo nec cum Editis, nec cum *Codice Corbej.* adducto a *Mabillonio T. II. Vet. Analect.* p. 45. plene consentiat. Desunt praeterea *Caesarius Arelat. Sidonius Arvern.* et *Honoratus Massil. Gelasius* penult. loco ante ipsum *Gennadium* occurrit, et in hoc Codex nec: *misi ad beatum Gelasium*, nec *mittam* legit, sed *missa.* Ceterum cum *Veronensi* ab *Vallarsio* adhibito multum congruit.

III. *fol.* 21. *Incipit epistola quoduultdeus dyaconi karthaginensis ad sanctum augustinum de heresibus inquirendis.* Initium: *Domino merito uenerabili* &c. *Diu trepidus fui et ausus hos meos* &c. Sunt Epistolae illae alternae IV. quae in Edit. *Maur.* non tantum T. II. *n.* CCXXI—XXIV. sed etiam T. VIII. ante ipsum *de Haeresibus Librum* habentur. Librum hunc in *Codice* Elenchus Haeresum praecedit, qui *Augustini* ordinem exacte sequitur. Initium Libri est: *Quod petis saepissime atque instantissime sancte fili quoduultdeus* &c. Lectio proba est, sed *fol.* 20. p. 2. adscripsit alia coaeva manus: *Hoc adjungendum est in fine sequentis libelli de heresibus.* Est vero Haeresis *Nestoriana* et *Eutychiana Augustino* quidem posterior, addita tamen et in aliis Exemplis, et a *Maurianis* T. VIII. *col.* 28. in not. relata, a quorum textu abludere nostrum vel initia docebunt: *Nestoriana heresis nuncupatur a suo auctore* &c. Et: *Eutychiana heresis ab eutbice presbitero archimandrita* &c.

IV. *fol.* 32. p. 2. *Incipit ordo librorum ueteris testamenti quos sancta et catholica romana suscipit et ueneratur ecclesia.* Ita et novi Testamenti. Ut videlicet in celebri *Decreto Gelasii* I. quod quidam ad *Hormisdam*, alii ad *Damasum* retulere, quodque mihi objacet ex edit. *Justi Fontanini* ad calcem *Antiquitt. Hortae. Append.* p. 317. Sed Librarius noster *Deuteronomium* post *Exodum* posuit, *Libros Esdrae* transsiliit, *Psalmis* CL. Libros V. totidem *Salomoni* dedit adjectis nempe *Sapientia* et *Ecclesiastico*, atque his expeditis: *Incipit decretale sancti gelasii episcopi urbis rome.* Initium: *Post has omnes propheticas et euangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundata est* &c. Accedit longe magis ad Exemplar *Chifletianum*, quam ad *Vaticanum* a *Fontanino l. cit.* productum; Libros tamen *apocryphos* longe pauciores sistit, quam utrumque. Ad calcem: *Explicit noti-*